

SS 1731

RECTOR

ACADEMIAE GIESSENÆ,

D. JO. FRIEDERICVS

KAYSER,

CONSIL. HASSO-DARMSTATT. JVR.

PROF. P. ORD. ET RERVM

OECON. INSPECTOR,

LECTIONES

PER INSTANS SEMESTRE ÆSTIVUM

A SINGVLIS PROFESSORIBVS

IN QVAVIS FACVLTATE

CVM PVBLICE, TVM PRIVATIM

HABENDAS

LECTISSIMIS CIVIBVS ACADEMICIS

INDICIT ET COMMENDAT.

SVB SIGILLO ACAD. MAIORI

ANNO MDCCXXXI. DIE II. APRILIS.

GIESSENÆ,

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.

In Facultate Theologica.

IO. GEORG. LIEBKNECHT,

*SS. Theol. Doct. & Prof. P. Ord. Districtus Marpurgo-
Darmstad. Superint. & Acad. Senior.*

IN lectionibus publ. egregium tractatum B. D. BECHMAN-
NI de cognitu necessariis, in præparando futuro Ecclesiæ
ministro, exponet. Priuatim *collegium Biblicum* continuabit,
inque *homileticis* iuxta præcepta alibi data auditores exerce-
bit, nec iis deerit, qui vel *Historiam Ecclesiasticam*, vel aliam
forte partem Theol. desiderabunt.

REINH. HENR. ROLLIUS, D.

Prof. Publ. et Superintendens.

Absolutis per Dei gratiam controversiis in Augustanam
confessionem recentioribus, quas anno præterlapso pu-
blice ab hora IX. ad X. tradidit, *Historiam seculi XVI. et XVII.*
præleget, dictatisque in calamum potioribus momentis,
perpetuo eam discursu illustrabit. *Privatim* ab hora IV. ad
V. Lectiones theologicas in Bajori Comp. continuabit iisque
ad finem perductis, novas auspicabitur, ea tamen lege, ut
thesibus orthodoxis antitheses heterodoxas quorumvis ad-
versariorum, tum veterum tum recentiorum, adjungat, in-
dicatoque breviter illarum momento, unum alterumve, id-
que palmarium, quo stabiliri eadem consueverunt, argu-
mentum recenseat ac refellat, eoque pacto Commilito-
nes, ad curatius vacandum Theologiæ polemicæ studio, quo

hodie

hodie cum primis opus est, incitet. Perget quoque in Collegio *Theologia moralis* ad Institutiones Martini Chladenii, ab hora V. ad VI. haftenus habito, eoque ad finem perducto, *Lectiones biblicas* inchoabit, illisque Annotationes selectiores in universum N. T. codicem propinabit. Addet his *Disputatorium* in universam Theologiam, diebus Mercurii et Sabbathi ab hora X. ad XII. quod in posterum, Deo vitam viresque clementer largiente, perpetuo in orbem recurret.

JO. CONRADUS ARNOLDI,

SS. Theol. D. Prof. Ord. nec non Acad. & Bibliothec.

Publice *Theologiam Symbolicam*, hora II. persequetur, & Apostolico Symbolo propediem absolvendo, addet reliqua Conciliorum IV. oecumenicorum Symbola, ex S. Scripturis & antiquitate historica illustranda. Privatim hora X. in explicanda *Theologia Thetica*, secundum ductum Compendii Baieriani, V. D. perget: Idemque praestabit in collegio *Theologia Exegetica*, porro commentaturus in residua Epistolae ad Romanos capita; utrobique etiam potiora observandorum momenta, ad doctrinam & praxin necessaria, cum Dnu. Auditoribus scripto communicabit. Si quos desiderium excolendae *Theologiae Polemicae* tenuerit, cum illis instituet *Examen Professionis Fidei Tridentinae*, quae Romano-Catholicae ecclesiae Symbolum est publicum.

In Facultate Juridica.

D. JO. FRIEDERICVS KAYSER,

Consil. Hasso-Darmstadt. Jur. Prof. Ord.

& rerum Oecon. Inspector.

IN Lectionibus ff. praeterlapso semestri coeptis sedulo continuabit.

tinuabit. Collegium Juris publ. novum aperiet, & quantum Rectorale munus aliaeque occupationes bene multae permittent, in aliis quoque Jurisprudentiae partibus Nobilissimis Dn. Dn. Commilitonibus operam industriamque suam haud denegabit.

D. JO. FRIEDERICVS

Prof. P. Ord. & Academia Syndicus.

Publice Struvii Jurispr. Rom. Germ. forens. *Privatim vero* Institutiones Justiniani Imperatoris explanabit, nec non ea, quæ in collegio pandectarum supersunt, absolvet, hisque exercitium disputatorium junget, modo non deficiat industria Dnn. Auditorum, qui observationes ad prælaudati Struvii Jurisprud. cœptas, in cathedra defendere gestiunt. Nec iis deerit, qui collegium ad Schilteri instit. Jur. canon. desiderabunt.

IO. GEORG. ESTOR, D.

Publice docebit Strykii *examen iuris feudalis*. *Privatim* commentabitur ad *institutiones iur. & historiam Imperii*. In gratiam theologiae & iuris cultorum tradet ius parochiale, praeunte perillustri consiliario Imperii aulico, domino de Wernher, in *principiis iuris ecclesiastici protestantium*, *instruendo in primis pastori adornatis*. Neque illis deerit, qui examinatorium collegium ad π . desiderabunt.

D. JO. FRIDER. MOEGLING,

Jur. Civ. Prof. P. Ordin.

IN Lectionibus, quas bono cum Deo prima inchoabit vice, publicis, Institutiones Justiniani, in privato vero Collegio Pandectas ad Compendium Lapterbachianum Schützii, fibi

❁ (•) ❁

sibi proposuit explicandas, utrobique sollicitus, tam de vero verborum rerumque sensu, quam de omnium eorum ad praxin vivam applicatione, proinde, si qui provectoris erunt in studio Juridico ætatis, Collegium Practicum, in quo omnia Judiciorum essentialia efformabuntur, offert, id solum expetens, ut Dnn. Commilitonum benevolentia & assiduitas ipsi faveant.

In Facultate Medica.

D. JOH. CASIMIR HERTIVS,

Prof. Publ. Ord.

Publice pro temporis munerisque sui ratione demonstrationibus botanicis vacabit: Privatim vero lectiones anatomicas secundum Auctoris, quem hætenus secutus est, ductum continuabit, in aliis quoque Nobil. Commilitonibus non defuturus.

D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

Prof. P. Ord.

Publice rationem & fundamenta vniuersæ Medicinæ rationalis & genuinæ exponet. *Privatim* votis & desideriis sedulorum *Philiatricorum* impigre velificabitur.

LVD. HENR. LEO HILCHEN,

Prof. P. Ord.

IN explicandis institutionibus sedulo perget; iisdemque absolutis, novum collegium ad easdem aperiet: nec iis defuturus, qui aliam quamcunque artis salutaris partem, vel universum etiam ejusdem cursum sibi exponendum desideraverint.

In

In Facultate Philosophica.
D. IO. GEORG. LIEBKNECHT.

Math. Prof. P. Ord.

Publice Euclidæa theoremata, & quidem præcipua, ad exemplum And. TACQVET explanabit. *Privatim* in Trigonometricis perget, nec in aliis Matheseos partibus deerit Dn. Auditoribus.

IO. HENRICVS MAIVS,

Antiquitatum, litteraturæ Græcæ, & ling. orient. Prof. Ord.

Per proximum semestre spatium euangelii S. Marci Philologicam illustrationem publicis lectionibus absoluit, eique S. Lucam continuo adiungere coepit, cuius sermonem posthac omnem, & ea, quæ rem continent, ita pertractabit, ut non modo Nobilissimi Dnn. Auditores Græca videant, sed & vicissim Græca videant illos. *Privatim* vel in Pandectis Talmudicis exponendis perget, vel alium interpretabitur scriptorem siue ex Grecia siue ex Latio, quem haud exiguo sibi usui fore eiusmodi elegantiarum cupidi animaduertent.


D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

Phil. Nat. Prof. P. Ord.

Quem sub initium huius anni exorsus est, *cursum Philosophiæ Naturalis*, consueta hætenus accuratiore pertractatione, officiosa & sollicita sedulitate prosequetur. Nec studium & industriam suam, in hoc studiorum genere, ullo modo desiderari patietur.

SEBASTIANVS MASSON, P.

Doctrinam *Moralem*, secundum Elementa BVDDÆI, iterum



rum exponet. Prudentiam *Politica* in vniuersum, eiusdem Auctoris ductu, subiunget: qua praemissa, ad commentationem MONZAMBANI, peculiarem *Germaniae* statum proponentis, se accinget. Porro vt collegium *Juris Naturae & Gentium* ad PVFENDORFIVM, de officio *Hominis & Ciuis*, nuperrime absoluit: ita illud, circa quod adhuc occupatur, sedulo promouebit; nouumque desiderantibus aperiet. Neque congressus *Disputatorios*, vel *Examinatorios* ad alterutram harum *Disciplinarum*, vel ad singulas, si sint, qui vberioris discussionis, aut firmiteris memoriae causa, cupiant, instituere detrectabit.

CHRIST. FRID. AYRMANNVS,

Hist. Prof. P. Ord.

PVblice *Brunquelli* Historiam iuris interpretabitur, priuatim *Historiam uniuersalem & Historiam Imperii* tradet, Collegium *Geographicum* etiam, si placuerit Dn. Auditoribus, continuabit.

JOHANNES RHENIVS,

Eloqueñtia utriusque Prof. P. Ord.

PUBLICIS laboribus Vossii Partitiones oratorias ad hodiernum usum accommodatas illustrabit; insuper privato studio Collegium epistolicum & oratorium practicum addet. Denique separatim satisfaciet iis, qui rectam veterum *Scriptorum latinorum tractationem* expetunt, nec minus ejus operam desiderantibus privatissime deerit.

JAC. FRID. MULLER, P. P. O.

PUBLICe in Auditorio philosophico h. pom. II. exponet *Logicam*, secundum positiones, quas ipse in *Usus Auditorum suorum* composuit. Privatim praëget in B. Koenigii *Comp. Theol.*, terminos, qui inibi deprehenduntur, philosophicos

❁ (0) ❁

sophicos definiturus, propositiones ejusdem fori suppositas demonstraturus, ita, ut pateat; quam proficua sit ratio dextre culta in studio Theologiae. Reliquum ut totus indelebili uritur boni publici desiderio, ita nil magis in votis habet, quam occasionem, commodis studiosae Iuventutis aliis adhuc lectionibus inserviendi.

IOH. LVDOVICVS ALEFELD,

Poës. Prof. P. Ord.

HOris publicis primum & secundum *Aeneidos Virgilianae* librum accurata commentatione ita illustrabit, ut & poeticae dictionis indolem & ipsum poëseos artificium dilucide exponat. Privatim eam *Mythologiae* partem, quæ Heroum s. Semideorum res & gesta continet, enarrabit. Quæ præter hæc acturus est, singulari programme, propediem edendo, plenius edisseret.

CHRIST. LVDOV. RVDIGER,

Prof. Philos. extraord.

Geometriam theoreticam, ætatis mira clementia fauente, præxi campestri collustratam reddet; Nobilem heroum scientiam, insignium construendorum, resolvendorum & examinandorum notitiam suggerentem, instillabit; nec non totam doctrinam ad beatitatem consequendam necessariam, vna cum desiderantibus communicabit.

Habebunt etiam *Generosi & Nobilissimi Cines* commodissimam occasionem; in arte equestri, in ludo palæstræ, in arte comode & perite saltandi; nec non in linguis exoticis, *Gallica, Italica*, apud exercitiorum istorum, & linguarum Magistros, publica auctoritate constitutos, habiles admodum & idoneos, proficiendi, profectus suos augendi, partemque habilitatem perficiendi.